



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

XXXVII. De conuersione Dodonæ ciuitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

*Psal. 148.
Psal. 17.
Iulienensium
mutatio in ma-
litas.*

deres, quod scriptum est; Ipse dixit, & facta sunt; & populus quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Hæc autem fuit mutatio dexteræ excelsi. nam quos prius contis & fustibus à suis terminis satis inclementer exturbauerant; postmodum, quasi angelos de cælo venientes, summo studio venerati sunt; sanctum arbitrantès atque diuinum, quidquid à nobis dictum vel factum est.

*Ingens multi-
tudo eorum,
qui baptiza-
bantur.*

*Labores ass-
dus S. Othonis.*

Sed quid multis? Tota ciuitas atque prouincia cum populo suo apposita est ad Dominum; tantaque fuit multitudo virorum & mulierum, & vtriusque sexus puerorum, vt in spatio duorum mensium, quamuis sine cessatione instarem operi, vix omnes tingere possemus. Quantum & illic sudoris, & laboris sanctæ semper memoriæ Otto loquendo & clamando in turba, baptizando, & multa faciendo pertulerit, qui videt omnia, viderit Deus. Sed, quia ciuitas hæc in medietate sita est Pomeraniæ, ciuesque Iulienenses fortes & duræ ceruicis, tam Dux Vurati stans, quam Principes terræ Sedem Episcopatus illis constituendum fore censuerunt; scilicet vt gens aspera ex iugi Doctoris præsentia mansuesceret, nec ad pristinos rediret errores; & quod de medio ad omnes terminos terræ chrisma & alia, quæ ab ipso accipienda sunt, facilius deportari possunt. Itaque duas illic Basilicas fieri præcipiens, altaria tantum & sanctuaria consecrauit, quia dum reliqua pars interim consurgebat, & perfectionem expectare, longum erat ad alia festinanti.

*Agitur de Sede
Episcopali Iuli-
na statuenda.*

De conuersione Dodona ciuitatis.

CAPVT XXXVII.

*Sefridus.
* Alter; Do-
dona.
S. Orho Dodo-
na S. Crucem
erigit; & in e-
ius honorem
Ecclesiam ex-
struit.*



Moventes autem à Iulina* Dodonam venimus, nihilque difficultatis aut contradictionis illic inuenientes, sanctæ Crucis trophæum ibi ereximus. Et quia locus nemorosus erat & amœnus, & ligna ad ædificandum suppetebant, in honore sanctæ Crucis ingentem Ecclesiam de nobili artificio fundauimus, & cū læticia & gaudio populum catechizantes & baptizantes, quia messis multa erat, ad vltiora progredi festinauimus.

Transito

Transiit autem flumine, quod Dodonam præterlabitur, ciuitatem quandam inuenimus, magnam quidem ambitu & spatiosam, sed raros incolas: nam ferro & incendio se vastatam ^{Vastata ciuitas.} adustionum signis & cadauerum aceruis, spectantibus indicabat. Ipsi autem incolæ tenues illorum se fuisse clientulos, qui à Duce Poloniæ illic interfecti erant, & captiuati, asserbant, & à facie gladij saluatos se fugæ præsidio. Fecerat autem ex ramis & virgultis circa ruinam parietum tuguria & umbracula, quibus tegebamur, quousq; tecta meliora instaurarent. Hos Pater optimus verbis consolans, & sipe releuans, benignissimè instruxit & baptizauit. Multi etiam de viculis circumpositis ruricolæ illic confluente fidei percepere Sacramenta.

De conuersione Colobergæ ciuitatis.

CAPVT XXXVIII.

Inde Colobergam peruenimus, quæ super littus maris sita est. Sed quia ciues illius pœnè omnes, institorum more, ad exterarum insulas, negotiandi causa, nauigauerant: illi, qui domi reperti sunt, absentibus suis conciuibus, nihil se noui aggressuros dicebāt: atque sub occasione tali aliquandiu restiterunt Euangelio. Tandem exhortationibus crebris ab Episcopo superati sunt. Confirmatis ergo eis in fide SS. Trinitatis, & baptismo regeneratis, & fundato altari & sanctuario, cæterisque, quæ nascenti Ecclesiæ utilia credebantur, ordine peractis, diei vnus itinere distantem à Coloberga * Belgradam petens, simili operum effectu illic lætificatus est; omnibus se Domino sponte applicantibus: quod ubi factum erat, visum est ei, bonum esse, omissis quatuor, quæ supererant, ciuitatibus cum pagis, insulis & viculis suis, videlicet Noirnia, * Hologosta, * Cozgaugia & * Timina: quia tempus eū renocabat (hiems quippe erat) id, quod plantauerat, interim irrigare, ne fortè dilatando tantum agrum suum, & non etiam excolendo, in vacuum curret, aut cucurrisset; quin etiā, si vltius procederet, ante diem

Sefridus.
S. Otto Genit.
Colobergæ seu
Colobregam.

Excusatio Co-
lobergensium.
Sed tandem
monitis Episco-
pi cedunt.
** Belgard.*

** Wolgast.*
** Gustaw.*
** Cammina.*

n Palma-